Dissertatio Philologica

de

Significatione Activa et Passiva

Nominum Latinorum,

Ex loco Horat. Carm. III: 16, 32.

Quam,

Consent. Ampliss. Fac. Philosoph.

Præside

ANDREA O. LINDFORS,

S. S. Theol. et Philos. Doct., Eloqu. et Poës. Prof. R. et O. Past. et. Præpos. Ecclesiar. Bjeresjö et Oxie, R. Acad. LL. HH. Hist. et Antiquit., Reg. Societ. pro edend. Actis Hist. Scand., Reg. Soc. Bibl. et pro Fide et Christian. Holm., Reg. Soc. Archæol. Hafn. Membro, cum insigni Reg. Ord. de Stella Polari,

pro Laurea

Publico Examini Subjicit

ELIAS P. LINNELL,

Smolandus.

In Academia Carolina d. xx Junii MDCCCXXXVIII.

LUNDÆ,

TYPIS EXCUDIT C. FR. BERLING,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS,

MDCCCXXXVIII.

CAROLO MAGNO AGRELL,

S. S. Theol. Doct. Ecclesiar. Skatelöf, Thorsås et Härlunda Past. et Territor. Alboensi Præpos. Reg. Ord. de Stella Polari Membro,

Avunculo Carissimo,

Sacrum

voluit, debuit

Respondens.

I. Futuro Lexicographo Latino diligentius tenendum videtur, quid intersit inter significationem Nominum activam et passivam. Quod quidem in Substantivis satis exstat et apparet, in Adjectivis autem ita valet et dominatur, ut qui id minus attenderint, ad accuratiorem linguæ intelligentiam pervenire nequeant.

II. In Substantivis igitur ita valet, ut permulta, quæ quidem actionem quandam significatione sua complectantur, et activam et passivam habeant significationem. Nam *vector* dicitur et qui vehit, et qui vehitur, *hospes* et qui hospitio excipit, et qui excipitur, *nuntius* et qui nuntiat, et qui nuntiatur. Unde fit, ut duplicem Genitivum, alterum Subjectivum, qui idem Activus appellatur, alterum Objectivum, qui idem Passivus dicitur, ratione, quemadmodum in Verbis activis et passivis, subjecto et objecto inter se permutatis, vulgo fit, ita conversa admittant, ut, cum ille active intelligatur, nomen regens per se ipsum passivam habeat significationem, cum vero hic passive intelligatur, Nomen regens per se ipsum activam et quidem actionis transitivæ (non enim aliter objectum habere poterat) vim adsumat. In hoc enim exemplo: *equi l. navis l. plaustri vector (Ov. A. A. III: 555. Prop. IV: 7, 84. Cic. Phil. VII: 9. Virg. Ecl. IV: 38. Ov. Her. XVIII: 148. Petr. Sat. 107), equi* etc. est Genitivus subjectivus, *qui vehit, vector* Nomen passivum, *qui vehitur* (eques); in hoc autem: *oneris vector, oneris* est Genitivus Objectivus, *quod vehitur, vector* Nomen activum et quidem transitivum, *qui vehit.* In hoc: *regis hospes,* si *re-*

gis est Genitivus Subjectivus, *qui domo excipit*, *hospes* est passivæ significationis, *qui domo excipitur*, sin *regis* est Genitivus Objectivus, *qui excipitur*, *hospes* est activæ ejusdemque transitivæ significationis, *qui excipit*. Sic *metus hostium* recte dicitur, et cum timent hostes, et cum timentur, hinc *esse in metu* et qui timet, et res quæ metum affert *(Cic. Cat. 1: 7. Id. Att. III: 9. ib. XIV: 21*, ubi *ponere in metu* est *inter res metuendas)*; *injurias* itidem dicimus tam illorum, qui faciunt, quam qui patiuntur; eodemque modo *invidiam*, *opinionem*, *scientiam*, *inscientiam*, plura ut taceam, duplicem intelligi volumus [1]). Qui vero duo Genitivi si una concurrant, fit interdum, ut aut Subjectivus ille pluribus verbis describatur, vel, quemadmodum in Pronominibus personalibus, quæ illo carent, in formam adjectivam abeat, ut: *paternus liberorum amor* (quod tam late patet, ut hoc idem in uno Genitivo fieri possit, ut: *Herculeus labor*, et ipse Objectivus per possessivum aliquando exprimatur, ut: *injuriæ suæ*, i. e. ipsi illatæ, *invidia tua*, pro tui, *fiducia sua*, pro sui, *desiderium vestrum*, pro vestri, et pervulgata ista: *caussā meā*, *tuā*, *suā* etc.), aut hic Objectivus per præpositionem, id quod maxime obtinet, reddatur, ut: *patris in liberos amor*. Neque tamen desunt exempla, ubi duo illi consociantur Genitivi, ut apud *Jul. Cæsarem B. G. I: 30 veteres Helvetiorum injuriæ populi Romani*, i. e. quas Helvetii intulerant populo Romano; ap. *Florum III: 21. inexplebilis honorum Marii fames*, i. e. qua Marius honores captaret; ap. *Ciceronem Fam. III: 13. Appii administratio provinciæ*; ap. *eundem de Har. Resp. c. 23. imperitorum vituperatio timiditatis meæ*.

III. In Adjectivis autem, si quidem actionem quandam genere suo comprehendant, maximam, ut jam dixi, vim habet. Exempla ex sexcentis hæc potissimum erunt: *Cæcus*, *flebilis*, *infestus*, *memor*, *tumultuosus*. *Cæcus* igitur active adhibetur de eo, qui non cernit, qui sensu oculorum caret, ut: *cæcus homo*, *catulus*, et per figuram de animo ejusque motibus, ut: *cæca mens*, *fortuna*, *cæcus amor*, *furor*, *timor*; passive a) qui non cernitur, nec cerni potest, ut: *cæcum vallum*, *cæca saxa*, et per figuram latens, occultus, ut:

[1]) Gell. IX: 12. Quintil. VI: 2, 21.

cæca res l. causa, cæcum crimen, b) cum significatione intransitiva s. impersonali, per quod nihil cernitur, visus permeare non potest, obscurus, opacus, tenebrosus, ut: *cæca gemma, fenestra, nox, caligo,* et per figuram incertus, vanus, ut: *cæca exspectatio, cæcus terror.* *Flebilis* active de eo, qui multum flet, ut: *sponsa flebilis, Hor. C. IV, 2, 23;* passive de eo, qui fletus l. flendus est, ut: *bonis flebilis, ib. I: 24, 9.* *Infestus* active, qui malum infert, inimicus, hostilis, ut: *infestus latro, animus, infesta fortuna;* passive, cui malum infertur, vexatus, infestatus, plenus discriminis, intutus, ut: *infesta via, terra, infestum iter, mare.* *Memor* active, qui in memoriam aliorum revocat, monet, memorat (ὁ μνήμων), ut: *memor nota, Hor. I: 13, 12. Memores fasti, ib. III: 17, 4. querela nostri memor, ib. III: 11, 51. genius memor brevis ævi, Ep. II: 1, 144;* passive, et quidem cum significatione reflexiva, qui in memoriam suam revocat, qui meminit l. reminiscitur (ὁ μεμνημένος), ut: *homo memor officii, beneficii.* *Tumultuosus* active, qui tumultum excitat, ut: *nuntius tumultuosus, Liv. II: 24. in otio tumultuosi, in bello segnes, ib. IV: 28;* passive, qui tumultu excitatur s. agitatur, tumultu plenus, ut: *tumultuosa civitas, concio, vita, tumultuosum mare.* Eodem in genere sunt *angustus, ignarus, ignotus, gratus, ingratus, docilis, sociabilis, dissociabilis, penetrabilis, fastidiosus, formidolosus, invidiosus, perosus, suspiciosus, ambitiosus,* etc., quæ omnia duplici ratione intelligi possunt.

Obs. Ex his facile patet, Nominum eandem ac Verborum quodammodo esse rationem. Cum enim hæc in duo genera commode distribui possint, unum quod actionem, eandemque vel transitivam vel intransitivam, alterum quod existentiam, eandemque vel indefinitam vel definitam, significant [2]), Nomina eodem modo distribuere licet. Jam vero ut Verba transitiva et intransitiva duplicem habent formam, et activam et passivam, et quidem illa hanc plenam et perfectam, hæc vero deficientem et imperfectam, utpote neutro impersonali definitam, Verba autem existentiæ, quæ nos neutra appellamus, omni

---

[2]) *Om Verbernas Genus och Forma i Latinska Språket. Lund 1836.*

carent forma passiva, ita Nomina transitiva et intransitiva duplicem quidem habere possunt significationem, et activam et passivam, sed hæc posteriorem non nisi impersonalem, Nomina vero, quæ existentiam, sive indefinitam sive definitam, indicant, nihil significationis passivæ obtinent, nec obtinere possunt, nisi forte vim quandam activam, quemadmodum idem in Verbis sæpius fit, adsumant. Primi s. transitivi generis satis multa jam attulimus exempla. Alterius s. intransitivi hæc erunt: *meatus* active dicitur de actu meandi, passive de loco, per quem meatur; *meabilis* active de eo, qui per aliquid meat, ut *aër*, passive de eo, per quem meari potest, ut *transitus*. *Cæcus*, ut jam docuimus, in utroque genere est; nam ut Verba, ita et Nomina eadem et transitivæ et intransitivæ significationis inveniuntur. Existentiæ denique Nomina ceteram turbam faciunt.

IV. Quanti hoc scire et tenere in auctoribus explicandis intersit, ut luculentiori quodam exemplo declarem, eruendus videtur locus ille Horatianus *Carm. III: 16, 29 seqq.*, in quo jam diu laboratum est:

Puræ rivus aquæ, silvaque jugerum
Paucorum, et segetis certa fides meæ,
Fulgentem imperio fertilis Africæ
Fallit sorte beatior.

Quamquam nec Calabræ mella ferunt apes,
Nec Læstrigonia Bacchus in amphora
Languescit mihi, nec pinguia Gallicis
Crescunt vellera pascuis;
Importuna tamen pauperies abest etc.

Ubi cum Clariss. *Doeringius* [3]), quem principem hic nomino, voces *sorte beatior* non satis intelligere posset, temere fecit, ut nova interpunctione tex-

---

[3]) *Q. Horatii Fl. OO. OO. Recens. et Illustr. F. G. Doering. Ed. III:tia. Lips. 1824.*

tum corrumperet. *Scilicet*, ut verbis ipsius utar, *cum voces sorte beatior non cum verbis antecedentibus, sed cum sequente sententia jungendæ omnino esse videantur, interpunctionem majorem post fallit eo fidentius posui, quod in eandem, quæ mihi jam olim succurrerat, hunc locum tam distinguendi quam explicandi rationem Wakefieldium quoque incidisse vidi. Nam qui voces sorte beatior cum antecedentibus junctas ad Græcam loquendi rationem, sc: ὤν, vel: esse, explicant: sorte beatiorem esse, ipsi de hac latinitate viderint. Quis umquam vel rivum, vel silvam, vel certam fidem segetis — sorte beatiorem dixerit?* Ita igitur ille hos versus reddit:

Puræ rivus aquæ, silvaque jugerum
Paucorum, et segetis certa fides meæ,
Fulgentem imperio fertilis Africæ
Fallit. Sorte beatior,
Quamquam nec Calabræ mella ferunt apes etc.

Quorum hic sensus et nexus illi esse videtur: *Liquidissima illa voluptas, qua ego vel puro rivo, vel silvis paucorum jugerum, vel certo segetis meæ proventu perfundor, latet eum, qui latifundiorum in fertili Africa se jactat possessionibus. Sortis igitur meæ felicitatem mecum reputans videor ego mihi ejusmodi latifundiorum possessore longe beatior; quamquam enim non ea, in quibus vulgo censentur divitiæ, possideo, nihil tamen ad vitæ usum deest*, etc. In quo sensu eruendo duæ illi particulæ conjungentes addendæ fuerunt, ut exstaret: *sorte igitur beatior sum, quamquam enim nec Calabræ* etc., hæc imprimis ne, particulam *quamquam* ad antecedentia referendo, vocabulum *tamen* in sequenti membro (stropha) nimiam facesseret molestiam. *Doeringio* quoque assentitur *J. H. M. Ernesti* *). Clariss. vero

---

*) *Clavis Horatiana sub voce Sors. Hal. 1818.* Magnopere vero miror, quid Cel. *C. G. Mitscherlichio*, quem omnium, quos quidem ego noverim, interpretum Horatianorum facile principem dixerim, in mentem venerit, dicenti (Q. Hor. Flac. OO. Lips. MDCCC. Tom. II. p. 178): *Agri sors seu possessio beata non est, quæ possessorem beatum reddit, sed fer-*

R. Bentleius[5]), quem acutissimum quidem et doctissimum, eundem vero fastidiosissimum rerumque novarum cupidissimum dixerim, aliam viam, quæ *Doeringio* displicet, primum ingressus fuerat, ut voces *fallit sorte* beatior per Græcismum ita explicaret: *ager meus ignoratur ab Africæ Proconsule esse sorte beatior: nescit ille me in valle Sabina degere se beatiorem.* At cum ne hæc quidem satis ei placeret, utpote qui *sorte* ablativum respectus existimans nullum videret nomen, quocum comparatio institueretur, ea deinde derelicta, in solitam mutandi corrigendique libidinem incidens, sic melius, ut ipsi videtur, legit:

Puræ rivus aquæ, silvaque jugerum
Paucorum, et segetis certa fides meæ,
Fulgente imperio fertilis Africæ
Fallit sorte beatior.

i. e. Fallit sorte (sive plene, in sua sorte) beatior Proconsulatu Africæ: revera felicior conditio est, quamvis id a plerisque ignoretur. Fallit absolute positum, ut λαθεῖν *eodem sensu apud Græcos.*

Ex his omnibus satis constat, quantopere hic locus interpretes vexaverit, et ab iisdem in vicem vexatus sit. *Doeringium* certe ejusque asseclas, nescio quo pacto, effugisse videtur, et *rivum* et *silvam* et *segetem* sorte beatiorem latine dici posse, siquidem vox beatior non passive, sed active hic sumenda est. Quod quo luculentius pateat, res paullo altius repetenda videtur. Nullus igitur dubito dicere, vocem *beatus* esse præteritum participii passivi a verbo *beo, avi,* quod, forma deponentiali induta, significationem assumsit *communem s. promiscuam,* i. e. et activam, *beans, qui beat l. beavit, qui felicem reddit l. reddidit,* et passivam, *qui beatur l. beatus est, qui felix redditur l. redditus est.* Unde fit, ut, cum de personis potissimum sermo est, passivam, de rebus autem activam habeat vim et significationem. Primo in genere, quod nihil dubitationis

---

tilis, ubertate præstans, proventu uber. Hæc enim eodem, ut infra docebimus, quodammodo redeunt.

[5]) *Notæ atque Emendationet in Q. Horatium Flaccum separatim editæ ab J. Fr. Sachse. Lips. 1825. p. 239. seqq.*

habet, dicimus *virum beatum, mulierem beatam*, in altero *beatas gazas, Hor. C. I: 29, 1. beatas arces, ib. II: 6, 21. beatam Cyprum, ib. III: 26, 9. beatam copiam, C. Sæc. 59. beatum rus, Ep. I: 10, 14. beatum nectar, Mart. IX: 12, 5. argentum felix omnique beatius auro, Ov. Pont. II: 8, 5.* i. e. quod possessorem magis beat, feliciorem, scilicet ex vulgi opinione, reddit, et adeo est carius, pretiosius, jucundius. Neque apud solos Poëtas hæc significatio occurrit; nam ipse Cicero dicit *vitam beatam, beatissimam, Q. Tusc. V: 8. mortem beatam, Amic. c. 7.* Quid jam, quæso, impedit, quo minus *rivum beatum, silvam beatam, segetem beatam* dicamus? Præterea, ut singula persequamur, *imperium* Prætorium, Consulare pro magistratu passim occurrere apud Historicos, utique apud Poëtas, quin immo apud ipsum Ciceronem [6]), ideoque hoc loco intelligendum esse non regem aliquem Afrum, sed Proconsulem Africæ, cui tota Africa provincia obtigisset, recte monere videtur *Bentleius* [7]). *Fallere* dicuntur non tantum quæ scientiam effugiunt, i. e. ignorantur, sed etiam quæ visum omnemque sensum effugiunt, ut: *labitur occulte fallitque volatilis ætas, Ov. Met. X: 619.* In voce *sorte* alludere videtur ad morem Romanorum, quo provinciæ sorte ducebantur, unde sors pro munere quocumque sorte delato, et sors Asiæ, Africæ, Macedoniæ pro Asia, Africa, Macedonia provincia passim occurrunt. Quo posito sequitur, *sorte* hoc loco non esse ablativum respectus, sed comparationis, ex omisso *quam* explicandum, ut sit: *beatior quam sors Africæ.* Africam vero ideo potissimum comparat, quia ea amplissima et, ut Cicero ait, *omnium provinciarum arx* habebatur. Eodem tamen redit sententia, si, id quod etiam Cel. *Mitscherlichio* placet, *sorte* ablativum respectus existimans, aut alio nomine, quocum comparatio instituatur, addito, aut eodem potius repetito, ita explicueris: *ager meus sua sorte*, i. e. possessione, seu, ut *Bentleius* vult, conditione *beatior* est, quam sors fertilis Africæ. *Fallit* denique *beatior* aut per Græcismum, cujus multa in hujus verbi usu occurrunt exempla, aut per solitam constructionem participialem explicanda, ut sensus sit: fallit *et* l. *sed* beatior est, magis me beat.

---

6) *Ernesti Clav. Ciceron. et Forcellini Lexic. sub hac voce.*

7) Celeb. *Mitscherlich*, hanc interpretationem indoctam vocans, fulgentem imperio Africæ per latifundiorum Africæ possessorem explicat, eique, ut jam vidimus, assentitur Doeringius. At licet *regnum* pro prædio, ibique *regnare* pro ejus esse possessorem dici, recte monet, vix tamen crediderim *imperium* et *imperare* eandem vim habere, multoque minus *imperio fulgere* tam tenuem et angustam habere posse significationem, ut nihil aliud significet quam latissimas in Africa possessiones tenere. Aliud certe, longe aliud significat: *imperare agris s. arvis*, i. e. ea impensius colere, et quasi cogere, ut tantum ferant, quantum ipse desideraveris. Ipsum vero illud *fulgere* ad aurum summumque splendorem Africæ quam maxime spectare videtur. Et terra *fertilis* dicitur, non solum quæ fruges, sed etiam quæ aurum fert.

Locum igitur ita interpretor: *Puræ rivus aquæ — — fulgentem — — fallit*, i. e. scientiam illius et sensum effugit, *sorte beatior*, sed me magis beat, me meliori beat sorte, me majori perfundit voluptate, me possessione sua feliciorem reddit, quam sors sua, i. e. sors Africæ l. provincia sua, possessio sua (sorte ei delata) illum beat, vel me bearet etc., mihi carior, pretiosior, uberior, ubertate, proventu (scilicet non tam frugum quam voluptatum) præstantior, jucundior, amoenior est quam illi sors sua, quam si sors Africæ mihi obtigisset. Quod singula verba reddituro ita suethice vertere liceat: *Bäcken (der på min lilla egendom) med klart vatten, skogen af några få spanneland, och åkern, som aldrig sviker mina rättmätiga förhoppningar, är (till sina behag) okänd för det rika Africas lysande höfding (Proconsul), men skänker mig en större sällhet än den han fått på sin lott, gör mig sällare än om denna provins tillfallit mig, är mig kärare, dyrbarare, äger för mig mera värde, mera behag än hela hans provins.* Eller: *Behaget af min klara bäck, min lilla skog och min aldrig svikande åker är förborgadt för, kan ej fattas, ej kännas af — — men gör mig sällare än — —* Eller: *Han känner icke min, behaget af min — — åker, hvars egande gör mig sällare än om jag herrskade öfver hela hans Provins.* Bene igitur *Adlerbethius* noster, ordine paullum inverso:

Klara bäcken, en skog ringa till spanneland,
Och en åker, hvars tro aldrig bedrog mitt hopp,
Mig en sällhet beredt, hvilken för Africas
Stolta höfding förborgad är.

V. Neque a patria lingua, et nescio an a nulla alia, hæc duplex Nominum significatio plane abhorret, sed multo magis ita frequens est, ut vel leviter attendenti se offerat. In Substantivis argumento erunt: *Menniskors begär, penningens begär, penningebegär;* in Adjectivis: *blind menniska, blind klippa, blindskär, blindfönster, blindt allarm, lycklig menniska, lycklig resa,* quæ satis fuerit in memoriam revocasse.